

to addito valere incipiet. Quo ipso tamen non excluditur æquitas, quæ uti in omnibus, ita maxime in talibus est spectanda, (l. 90. D. de reg. jur.) siquidem pateat ob fragile & infirmum minoris consilium læsionem aliquam ex ipsius parte intervenisse. Sola autem ætas viginti quinque annis minor in se pacto vitium non adspersit. Plura vide apud *D. Pufendorf* heic *Add. D. Joan. Strauch* Dissert. Justin. XXV. 25,

XVI. Sic nec Juramenta excludunt tacitas conditiones & ejusmodi limitationes, quæ ex ipsa rei natura rite fluunt. Puta si alicui quicquid velit petendi optionem concessi, ubi iste iniqua aut absurda petierit, haudquicquam tenebor. Qui enim aliquid indefinitè roganti promittit, antequam noverit quid iste sit petiturus, præsupponit alterum petiturum honesta, moraliter possibilia, non aliis aut sibi perniciosam. Et ideo Herodes privignæ suæ saltatriculæ dene-gare debuisse caput Joannis viri innocentissimi De quo factio inter alios benè *Sandersonus*, de obligat. Jurament. Prælect. 3. Sect. 16. *Esto hoc nobis exemplum in cautelam, ut meminerimus Juramentum sic indefinite prolatum cum sua justa exceptione tamen semper esse intelligendum.*

XVII. Divisio juramentorum quam commodissime peti potest ab usu, cui illa in vita communi adhibentur. Nam in se omne juramentum est confirmatorium. Usurpantur autem quædam ad confirmandam alicujus assertionem circa factum illiquidum, & ubi veritas aliis rationibus commodius investigari nequit; quæ vocare possumus Juramenta *assertoria* Per quæ præsumptio veritatis ideò excitatur, quod nemo tanta impietate judicetur, ut ita petulanter summi Numinis vindictam in se provocare sit ausurus. Ut

C

pro-